

dico adolescenti' . . . *SY.* Syre, tibi timui male! 20

CH. qui passus est id fieri. *SY.* quid faceret? *CH.* rogas?
aliquid reperiret, fingeret fallacias

unde esset adolescenti amicae quod daret,

535 atque hunc difficilem invitum servaret senem.

SY. garris. *CH.* haec facta ab illo oportebant, Syre. 25

SY. eho quaeso laudas quī eros fallunt? *CH.* in loco

ego vero laudo. *SY.* recte sane. *CH.* quippe qui
magnarum saepe id remedium aegritudinumst :

540 iam huic mansisset unicus gnatus domi.

SY. iocone an serio ille haec dicat nescio ; 30

nisi mihi quidem addit animum quo lubeat magis.

CH. et nunc quid expectat, Syre? an dum hic denuo
abeat, quom tolerare illi(u)s sumptus non queat?

545 nonne ad senem aliquam fabricam fingit? *SY.* stolidus est.

CH. at tē ādiutare oportet adolescentuli 35

causa. *SY.* facile equidem facere possum si iubes ;

etenim quo pacto id fieri soleat calleo.

CH. tanto hercle melior. *SY.* non est mentiri meum.

550 *CH.* fac ergo. *SY.* at heus tu facito dum eadem haec
memineris

siquid hūiu' simile forte aliquando evenerit, 40 -

ut sunt humana, tuos ut faciat filius.

CH. non usu' veniet, spero. *SY.* spero hercle ego quoque,

neque eo nunc dico quo quicquam illum senserim ;

555 sed siquid, nequid. quae sit ei(u)s aetas vides ;

et ne ego te, si usu' veniat, magnifice, Chreme, 45

tractare possim. *CH.* dē istoc, quom usu' venerit,

videbimus quid opu' sit : nunc istuc age.—